

sic eum arbitror inebriari ex ea, ut obliviscatur mei, cum tu, Domine, quem potat ille, nostri sis memor. Sic ergo eram Verecundum consolantes tristem, salva amicitia, de tali conversione nostra, et exhortantes ad fidem gradus sui, vitae scilicet conjugalis. Nebridium autem opperientes, quando sequeretur, quod de tam proximo poterat, et erat jam, jamque facturus, cum ecce evoluti sunt dies illi tandem. Nam longi, et multi videbantur prae amore libertatis otiosae, ad cantandum de medullis omnibus: Tibi dixit cor meum, quaesivi vultum tuum, vultum tuum, Domine, requiram.

CAP. IV. QUID IN LITERIS FECERIT CUM PRAESENTIBUS AMICIS, ET CUM ABSENTE NEBRIDIO, ET DE PSALMIS AC DOLORE DENTIUM.

Et venit dies, in quo etiam actu solveret a professione rhetorica, unde jam cogitatu solutus eram. Et factum est. Et eruisti linguam meam, unde jam erueras cor meum; et benedicebam tibi gaudens, profectus in villam cum meis omnibus. Ibi quid egerim in literis, jam quidem servientibus tibi, sed adhuc in superbiae scholam, tanquam in pausatione anhelantibus, testantur libri disputati cum praesentibus, et cum ipso me solo coram te: quae autem cum absente Nebridio, testantur epistolae. Et quando mihi sufficiat tempus commemorandi omnia magna erga nos beneficia tua in illo tempore, praesertim ad alia majora properanti? Revocat enim me recordatio mea, et dulce mihi fit, Domine, confiteri tibi, quibus internis me stimulis perdomueris, et quemadmodum me complanaveris humiliatis montibus, et collibus cogitationum mearum, et tortuosa mea direxeris, et aspera lenieris: quoquo modo ipsum etiam Alypium fratrem ordi mei subegeris nomini Unigeniti tui, Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi, quod primo dedignabatur inseri literis nostris. Magis enim eas volebat redolere gymnasiorum cedros, quas jam contrivit Dominus, quam salubres herbas ecclesiasticas adversas serpentibus. Quas tibi, Deus meus, voces dedi, cum le-